



L. F. F. L. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De
RATIONE STATUS
Dissertationem VII. & IIX.

De
**EXPLORATORIBUS, & CAPITE
STATUS RATIONEM TRA-
CTANDI,**

Deque
**MONARCHICO REGIMINE
& USU MINISTRISIMI,**

Cum adjuncta Qvæstione

Quomodo differat actio vana à turpi?

Publicè ventilabunt

Die XVII. Augusti M DC XCIII, horis matutinis ab 8. ad 12.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
Jctus & Prof. Publ.

& Respondens

DAVID STAVINSKY Borussus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRAND. TYPOGR.





Qværo IV.

Qvomodo differt actio vana à turpi? Videtur, quod vanæ dicantur illæ, quæ sunt indifferentes, quatenus hæ ab indifferentia ad turpitudinem moventur.

§. I.



Actio humana moraliter considerata est vel *honestâ* i. e. legibus præcepta, vel *turpis* i. e. legibus prohibita, vel *indifferens*, i. e. quam lex nec præcepit nec prohibuit. Permissio enim, rectè monente Grotio, non est legis actio, sed actionis negatio. Regulariter autem omnis actio humana suâ naturâ i. e. physicè considerata, est *indifferens*, sit verò *honestâ* vel *turpis* ob circumstantias morales accedentes. Ergo actio *indifferens* est, quæ non habet circumstantias morales. Cave verò circumstantias morales crudè intelligas illas, quæ communi includuntur versiculo: *Quis, quid, ubi* &c. Nam aliàs non daretur ulla actio *indifferens*, quia non potest concipi actio ulla, sine aliqua ex his circumstantiis. Tum demum hæ circumstantiæ morales fiunt, si aliqua ex iis legibus præcepta sit vel prohibita. Ita edere domi, est actio *indifferens*, et si habeas circumstantias *quid* & *ubi*; vorare est actio *turpis*, quia connotat circumstantiam *quomodo* aut *cur*, legibus prohibitam.

§ II.

Jam autem *nomina* actionum humanarum talia sunt, ut vel connotent circumstantias *semper prohibitas*, ut furtum, rapina, incestus, vel *semper præceptas*, ut pietas, castitas, temperantia, &c. vel denique *circumstantias indifferentes*. At hæc ultima species iterum videtur *triplex* esse; aut enim nomen actionis illius *plerumque* connotat *ejus abusum*, ut homicidium, vel *plerumque*

circum-

*circumstantiam præceptam, ut obedientia liberorum, vel ab utroque planè præscindit, ut edere, bibere. Cum igitur communis regula sit, quod à potiori fieri debeat denominatio, non mirandum, quod actiones indifferentes primæ classis communiter inter turpes, & secundæ classis inter honestas referantur. Mirandum magis, quod hanc observationem non notantes Viri eruditi, de rebus facillimæ compositionis magnas lites moverint. Notum est, quid inter utriusque Religionis Proteſtantium affectas controvertatur de indifferentia saltationis, in tantum, ut ex quæſtione morali Theologica evaſerit, quibusdam ex Reformatis omnem saltationem damnantibus, quibusdam ex nostris in tantum defendentibus saltationem, ut se hoc maximè γνησίως Lutheranos exhibere posse opinentur, si, ut loqui amant, in odium Calvinianorum saltent, in quos graviter invehitur Cunradus Dietericus in *Concionibus Germanicis super Ecclesiasten*. Poterat, ut vides, tota lis tolli observatione modo dicta, nec opus erat tantâ vehementiâ utrobique defendi sententiam utrobique falsam, aut de vocibus tanta litigia movere, multò minus dissidia in articulis religionem spectantibus leviori reverà dissidio augere. Id verò non multum decoris, credo, sectæ nostræ attulit, quod inter notas hominis Lutherani ita à quibusdam relata fuerit defensio actionis etsi indifferentis, attamen vanissimæ & parum sapientis.*

§. III.

Vanitas vanitatum, ait Ecclesiastes, & omnia vanitas. Vanitas autem cum eo in loco latè accipiatur, quatenus de omnibus creaturis prædicatur, non erimus solliciti, quomodo Commentatores istam vanitatem definiant. Videamus saltem, quid denotet, dum de actionibus humanis dicitur. Ita de vanitate scientiarum scripsit Henricus Cornelius Agrippa utilissimum libellum, & lectione Studiosorum dignissimum, quamvis ob eum multa indignè passus sit à Pseudo-Theologis & Philosophis superioris seculi, de quo fortè alibi. Ita ipse Ecclesiastes recensendo vanitates mundi, cap. 3. plurimas actiones humanas enumerat, pro stabilienda vanitate generis humani, puta loqui, tacere, amare, odisse, flere, gaudere, saltare &c. Scio equidem, quod Ecclesiastes non dicat directò actiones has esse vanas, scio, quod plerum-

que in præfata controversiâ afferri soleat, actiones ibi recensitas ab Ecclesiaste pro indifferentibus haberi, non pro turpibus, quia dicatur, eas omnes requirere tempus suum. Sed scio tamen etiam, quod necesse sit per bonam consequentiam eas referri debere ab ipso Ecclesiaste inter vanitates, quia totum hominem & omnes actiones ejus pro vanis habet, idque ostendere vult in toto libro.

§. IV.

Jam quid dicemus? Si *indifferentes* sunt illæ actiones ibi recensitæ, (uti certè aliqua, ut *loqui, tacere, flere, gaudere &c.* absque dubio indifferentibus videntur accensendæ,) non haberi possunt pro illegitimis. At si *vana* sunt, (uti modò diximus, omnes actiones humanas esse vanas,) omninò pro turpibus videntur haberi debere, nam ipsa *vox vanitatis turpitudinem* videtur involvere. Nec est, quod dicas, divisionem actionis in honestam, turpem & indifferentem esse desumptam à relatione actionum ad legem, vanas verò dici actiones humanas ob instabilitatem, adeoque quæstionem: *utrum vana actio pertineat ad honestam an ad turpem?* &c. æque ineptam esse, ac si quis quærat, utrum sonus testudinis conveniat cum colore rubro an nigro? Nam respondeo, quod non diffitear eundem, Ecclesiastem in toto libro vanitatem exprimere potissimum per instabilitatem, sed istam instantiam de sono & colore huc non quadrare arbitror, quia & vanitas & honestas aut turpitudinis sub eodem genere comprehenditur. Et, si omnis actio humana aut honesta est, aut turpis, aut indifferens, necesse est, quod & vana actio vel ad unam ex tribus speciem referri debeat, vel sub omnibus comprehendatur. At solum *vanitatis* nomen ostendit, plus per id dici, quàm ut sola *indifferentia* actionis eo exprimat. Quid ergo? Certè *non honestas*, ergo, quia nihil amplius restat, *turpitudinis*. Et quid opus est ulteriori disquisitione? ab actionibus *vanis homo vanus dicitur*. At *homo vanus* nunquam sumitur in bonam aut mediam partem. Ergo quid dicemus?

§. V.

Contradictionem hanc paragrapho præcedente representatam ut evitemus, non melius nos facturos esse arbitramur, quàm si & naturam *indifferentia* & naturam *vanitatis* consideremus,

mus. Hæc enim meditatio apertè ostendet, *vanitatem inferre plus quàm indifferentiam, minus quàm turpitudinem. Est vanitas nihil aliud quàm entis affectio, quatenus illud mutationi & interitui est obnoxium. Indifferentia actionis verò notat actionem quidem lege nec præceptam nec prohibitam, sed quæ tamen vel levi aliqua circumstantia accedente, præcepta vel prohibita fieri possit, ergo multò magis etiam apta fit, ut levi circumstantia accedente magis vel minus ad honestatem vel turpitudinem inclinet.* Jam igitur, uti omnis vanitas instabilitatem denotat, ita *actio vana*, quatenus etiam de indifferenti aliàs prædicatur, involvet conceptum, quod *actio ista indifferens mutationi & interitui obnoxia sit.* Et homo vanus erit, qui in actionibus ejusmodi instabilibus, etsi indifferentibus aliàs, quietem querit atque felicitatem, cum tamen propter adhaerentem vanitatem, nullam quietem & felicitatem ei dare possint.

§. VI.

Jam habemus definitionem. *Actio vana est actio hominis naturâ suâ indifferens, in qua homo falsam quietem querit, unde ipsa actio ab indifferentia movetur ad turpitudinem.* Ita loqui, tacere, amare, odisse, flere, gaudere, sunt actiones suâ naturâ indifferentes, ita ut singulæ, si debito tempore fiant ab homine in ipsis quietem non quærente, sed, ut mediis ad debitum finem destinatis, iis cum indifferentia utente, in indifferentia maneant, nec vanarum actionum nomen assumant. At si quis loquelâ, taciturnitate, amore, odio, fletu, gaudio, tanquã rebus bonis delectetur, & iis tanquam finibus omnes aut multas actiones suas subordinet, vanus evadit, & ipsas actiones vanitate suâ inficit, ut & ipsæ vanarum nomen assumant. Quo magis autem falsæ huic quieti incumbit, eò magis vana actio fit, in tantum, ut si summum aut magnum bonum in iis quærat, *vanissima* fiant, & in vitium planè degenerent. Fiet enim ex loquente loquax, ex tacente insidiosus, ex amante mollis, ex osore crudelis, ex flente querulus, ex gaudente stultus.

§. VII.

Non igitur est, quod tempus perdamus, aut characterem religionis quæramus, in defensione saltationis, tanquam rei omninò indifferentis; non est, juvenes dilectissimi, quod vanitati cordis vestri indulgeatis, ex eo, quod à viris maximæ autoritatis legatis defensionem saltationis fuisse susceptam, vobis persuadendi, ac si rem laudabilem & Patriæ vobisque proficuum suscipiatis in saltationibus vestris. Agite, ipsimet judices estote in causa saltationis. *Est saltatio actio indifferens.*

Qvis negaret? Saltavit & David gaudio sancto repletus. Vel ideò
 vero, quia indifferens est, *potest fieri turpis*. Saltavit & filia Herodis de
 capite Johannis. Imò sit saltatio actio omnino indifferens, *est tamen*
actio vana, si in ista saltatione delectationem, in ista delectatione
 quietem quis quærat, aut eadem tanquam medio ad alias actiones
 vanas vel turpes utatur; Ergo, *non est actio*, quæ aut Patriæ aut pro-
 ximo, aut ipsi homini multum profit, ut *inter honestas vel saltem lau-*
dabiles referri mereatur. Fluit enim id ex præcedentibus. Et nunquam
 saltatio patriam ab hoste liberavit, aut dissidia civium sustulit, aut
 meliorem Christianum, Theologum, Jurisconsultum, Medicum, vel Philoso-
 phum effecit, aut ad conservandam sanitatem necessaria fuit, vel re-
 parandam, (nam quæ de iectis à Tarantula communiter recensentur,
 quod non nisi per saltationem curentur, ad nos non pertinent, qui de
 hominibus sanæ mentis loquimur, quæ privantur, qui à Tarantula
 iecti sunt.) *Neque ullum usum habet indifferentem, quam ut apti fiamus per*
saltationem gressus & inclinationes corporis in communi conversatione magis ad
decorum formandi, utque si ista sciamus, alii homines, qui fortè ope nostrâ in-
digent, ob illam aliqualem conformationem cum ipsorum moribus non ita à nobis
abhorreant. Reliquus usus omnis vel aperte vanus vel turpis esse vide-
 tur. At jam considerate quæso, quàm facile hic usus indifferens in
 vanum vel turpem degenerare possit, puta, si v.g. decorum istud, cui
 nos adaptamus, non sit indifferens, sed vel vanum vel turpe; (quo-
 modo autem id fiat, summatim in primo & secundo capite introduct, nostræ
 ad Erbicam diximus) si absque saltatione, solâ observatione & imitatio-
 ne aliorum gestus & inclinationes nostras ita formare possimus, ut sal-
 tem pro indecoris haberi non debeant; si quæramus saltatione nostrâ
 placere aliis hominibus, vel sexui sequiori, vel etiam masculis. Cum
 enim sapiens nunquam amicitiam suam det ob saltandi artem, facile
 cognoscere possumus, quales sint illi, quibus placere studemus, qua-
 les simus nos, qui illis placere allaboramus, cum similis simili gau-
 deat.

§. IIX.

His perpensis examine cor vestrum aut passiones animæ vestræ,
 ut deprehendatis, utrum saltationem discere cupiatis tanquam rem
 indifferentem, an tanquam vanam, an tanquam turpem? Dabo vobis
 exemplum. *Affectus*. Volo discere saltare. *Ratio*. Quamobrem?
A. Quia volo. *R.* Atqui hoc non sufficit. Scis enim quod omnia tibi
 indulgeam si cum ratione velis, semper vero resistam, si absque eâ. *A.*
 Ratio.

Rationes mihi non desunt. Pater ipse, Præceptor, iste vir magna
autoritatis &c. mihi hoc consilium dederunt. At vero Parentibus
& Præceptoribus obediendum est. *R.* Bene, sed cur non ita promptus
es ad studendum, ad te emendandum, ad benefaciendum aliis, cum
& id Pater, Præceptor &c. tibi consuluerint? Vides igitur aliam subesse
rationem. *A.* Est utique. Medicus svasit, quod debeam motione
aliquâ sanitatem corporis conservare, præ reliquis vero hæc mihi
potissimum placet. *R.* Vides igitur, quod consilium Medici non sit
causa appetibus tui, sed id, ob quod præ reliquis motionibus hæc
præcisè placet. Atqui hoc scire aucto. *A.* Quia unâ fidelîâ possum du-
os dealbare parietes, & motione corpus sustendendo, & idem ad gres-
sus decoros aptum reddendo. *R.* Rectè facis. Ad hunc finem poteris
mensis unius spatio discere quod sufficit. *A.* Eja, intra unum men-
sem vix possem primum & simplicem saltandi modum (la courante
simple) discere, & cogerer desinere antequam magis decoras illas figu-
ratasque saltationes (la bourrée, la menuët, la gavote &c) discerem. *R.*
De his non dixisti, sed de gressibus saltem decoris, quæ in simplici illo
saltandi modo addisci possunt. Cur igitur & reliquos vis discere? *A.*
Vivo inter homines, & posset facilè contingere, ut in conversatio-
ne essem, ubi risui exponerer, si saltare non possem? *R.* Et quid si ri-
sui exponereris? Tu contra ridebis te sine justâ causâ ridentes. Sed
transeant ista. Dabo duos menses, si diligens esse vis, poteris satis
discere, ut non ridearis. *A.* At vero non potero in hæc arte perfectus
reddi tantillo temporis spatio, non possum me ita insinuare ami-
citiis sexus sequioris, quas non inhonestas quæro, sed honestas, sal-
tando enim nihil inhonesti committitur. Et scio equidem saltatio-
nem esse vanitatem, sed quia sexus sequior magis involutus est vani-
tatibus quam noster, non tam nostrâ quam ipsius gratiâ nos aliqua-
tenus iis in rebus indifferentibus debemus accommodare, ut occa-
sionem nanciscamur ipsas ex præjudiciis eruendi. Nosti Titium,
quam egregiè saltet, quam æstimetur communiter, quam tamen ho-
nestè in conversationibus se gerat. Hunc imitari volo. *R.* Jam Te
teneo pessime. Verè imitari vis Titium. At ego scio, tumet ipse
scis, quantus scortator, quamvis clandestinus sit Titius. Novi ma-
litiâ tuam. Ipse te prodidisti, cum nuper, ubi saltantem Titium
videbas, ipsi postea diceres, quod tibi in saltatione istâ, cujus figu-
ra liberæ inventioni fœminæ relinquitur (dans la menuët) quam ma-
ximè

ximè placeat, quod oculi oculis perpetuò sint affixi, quod in variâ illâ corporis commotione necesse etiam sit vario modo moveri oculos, ita ut alter sexus alteri cogatur quasi monstrare motus oculorum maximè patheticos; quod porrò modò corpus corpori proximè accedat, modo iterum paulatim recedat, quod infinitis gestibus semper ex opposito personæ, cum quâ saltamus, passionem nostram declarare valeamus. Hæc est vera ratio petiti tui, hic est scopus quem quæris. *A.* Nimis rigidus semper & suspicax es. &c. Certus sum, si simili modo examinetis vos ipsos in actionibus vestris, vos non opus habituros esse laboriosâ disquisitione circa quæstionem: an v. g. saltare sit actio indifferens vel turpis? sed statim magis necessariam quæstionem definire vos valituros esse: utrum vos ipsi saltationem ut indifferentem, vel vanam, vel turpem actionem appetatis? Quæstiones enim illæ omnes generales & earum enucleatio magis nocent, quam profunt, si absque applicatione id fiat ad nos ipsos. Hæc vero facilis est, etiamsi quæstiones illas generales non ita exactè dirimere noverimus.

§. IX.

Possẽ dicta illustrare alio exemplo de *ludo pile in Spheristerio*, qui tot periculis non est subjectus ut saltatio, & tamen si non cautè & hic agatur, potest & ipse degenerare in actionem vanam & vitiosam. Sed quoniam discursus præcedens sub manu crevit, & vero illustratio ista non difficulter fieri possit à quovis ad imitationem eorum, quæ de saltatione diximus, subsisto, simul monens lectorem, ne ea, quæ de saltatione prolixius disseruimus, considerare velit, tanquam digressionem ad ipsam quæstionem parum pertinentem; cum illa maximè contineant usum quæstionis propositæ. Proponere enim institui quæstiones non inanes, sed quæ usum suum exerunt in vitâ humanâ.

T A N T U M.

*. Dedi in programmate invitatorio libertatem Dn̄, opponentibus, in singulis actibus etiam in veritatem quæstionum præcedentium inquirere. Ne tamen libertas illa confusionem pariat, constitui interstitium quasi aliquod Disputationum propositarum facere, & futuris duabus septimanis die 24. & 31. Augusti Deo dante, solus cathedram ascendere, atque ibi ab horâ 8. ad 12. audire dubia, quæ circa omnes quatuor quæstiones hæctenus propositas Lectoribus restant, ut postea remotis illis dubiis omnibus, in propositione novarum quæstionum, possimus pergere.

00 A 6336

ULB Halle 3
002 928 728




56.

VD 17

Reho ✓





2 F. F. 2 S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De
RATIONE STATUS
Dissertationem VII. & IIX.

De
EXPLORATORIBUS, & CAPITE
STATUS RATIONEM TRA-
CTANDI,

Deque
MONARCHICO REGIMINE
& USU MINISTRISIMI,

Cum adjuncta Qvæstione
Quomodo differat actio vana à turpi?

Publicè ventilabunt
Die XVII. Augusti M DC XCIII, horis matutinis ab 8. ad 12.
CHRISTIANUS THOMASIUS,
Jctus & Prof. Publ.

& Respondens
DAVID STAVINSKY Borussus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRAND. TYPOCR.

